

hanc satisfactionem exigit, an vero cum tertio. Posteriori in casu, decisionem *d. §. 6.* admittunt; verum in priori casu satisfactionem exigunt *Carpzov. I. F. part. 1. c. §. def. 15.* *Matth. Berlich. part. 1. conclus. 20. num. 39.* Verum *JCtus Macer* generaliter tradit, litem super re possessa motam non impedire, quominus quis quoad hujus cautionis immunitatem pro possessore habeatur. *Nec ad rem pertinet*, addit, *quod evinci mihi ea possessio possit.* Quæ ratio æque in priori ac in posteriori casu locum habet. Neque hic locum habet fugæ suspicio, vel latitationis metus; quæ est ratio, propter quam hæc satisfactio exigitur. *Bened. Carpzov. I. F. part. 1. c. §. d. 11. n. 4.* Ad contraria in conflictu respondebo.

§. XIV. Ex generali *d. §. 6.* ratione: *Nec ad rem pertinet, quod evinci mihi ea possessio possit.* inferunt *Dd.* etiam nihil referre, etiamsi possessor obæratum sit, & bona ejus oppignorata. Quamvis enim deducto ære alieno bona ipsorum ad cautionem idoneam vix sufficere videantur, in materia tamen hac, non tam valor vel quantitas bonorum attenditur, quam utrum excludant suspicionem fugæ, quæ hoc in casu minime præsumitur. *Vide Jasonem ad d. l. 15.* Et *Bened. Carpzov. I. F. p. 1. c. §. d. 14.* præjudicio hoc confirmantem. *Jure Wurtembergico* bona aliis oppignorata non sufficiunt. *Sandrecht. part. 1. tit. 20. §. ob aber.*

§. XV. Tandem concludit *JCtus Macer* hoc suum responsum hisce verbis: *Possessor autem quis, nec ne, fuerit: tempus cautionis spectandum est.* Nam sicut ei, qui post cautionem possessionem vendidit, nihil obest: ita nec prodest ei, qui post cautionem possidere cepit. In explicatione horum verborum *Dd.* maxime variant. Ego simplicitatem  
legi-